



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,  
Et Charitate

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

21 De amissione privilegij per reuocationem

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

ipso facto privilegio, vel veniat priuandus. Item an priuatur toto privilegio, vel parte illius, id est, valore actuum, quos virtute privilegij facit?

Cui difficultati respondeo, regulariter loquendo, nullum priuati suo privilegio ob illius abulum, sed solum venire priuandum, quia in allegatis textibus solum dicitur mereri amittere privilegium, qui concessa sibi abutitur potestate id est, dignum esse amittere, sic docet Salas, Bonacina, Suarez *supra* Basilius de Leon lib. 8. c. 18. n. 29.

Dixi in conclusionibus, regulariter loquendo, propter abulum non amitti privilegium ipso facto, vt intelligeres aliquando non amitti privilegium ipso facto, quia ex privilegij verbis debes colligere; quæ si hanc penam expressè non appoluerint, non debes censere ipso facto impositam, sed solum ferendam. Adde, etiam si ipso facto imposta sit, non teneris te privilegij vtu priuare, quousque adueniat sententia saltem declaratoria abusus, ob quem priuatur privilegio, iuxta dicta de lege pœnali; & tradit in præsentî Suarez lib. 8. cap. 36. n. 8. Bonacina disp. 1. q. 3. p. 8. §. vlt. n. 1.

4. Vt autem supradicta clariùs intelligantur, placet discurre per modos, quibus abuti potes privilegio. Et quidem quando abuteris privilegio extendens illud ultra id quod potest, clarum est extensionem illam esse nullam, vt ipse factam sine potestate; ob illam tamen extensionem, & privilegij abulum mereris privilegio priuari; & de facto aliquando priuaris, vel toto privilegio, vel parte illius: vt in cap. 2. de postul. prælator. cap. cum in cunctis, §. vltim. & cap. cum vironensis, de elec. In quibus textibus priuaris pro illa vice potestate eligendi, eo quod elegeris indignum. Si autem secundo modo abutaris privilegio, occasionem ex illo delumens delinquendi, mereris quidem privilegio priuari: at factò ipso non es priuatus saltem, quousque adueniat sententia declaratoria criminis: vt videri potest in cap. contingit, 2. de sentent. excommunicat. vbi clericus incedens sine habitu, & contorta occasione libertus vtu ad, non amittit privilegium clericale, quousque ter monitus sit. Facta autem trina monitione iam illi privilegium prodesse non potest. Credo tamen non teneri ipsum se privilegio priuare, quousque per sententiam declaratur. Idem habetur in cap. ex litteris, de vita, & honestate clericorum, vbi clericus negotiator ter monitus non defenditur à solvendis tributis; quia factò ipso privilegium abiicit clericale: debet autem constare ter monitum esse, & insuper declarari, quoad prætermissis diuinis officiis secularibus negotiationibus inhiitit. Ad idem reduci potest: qui in Ecclesia delinquit eius immunitate priuatur, c. vlt. de immunit. Eccl. Quod si abusus privilegij tollat finem, & fundamentum illius: tunc clarum est cessare privilegium eo modo, quo cessat finis, & fundamentum illius; si enim finis, & fundamentum privilegij non omnino cessat, sed solum quoad aliquem actum, tunc privilegium pro illo actu cessabit, si verò in totum cessat finis, in totum etiam cessabit privilegium; sed hæc cessatio non est in penam abusus, sed ob defectum finis à privilegio intenti. Exemplis manifestatur; conceditur enim clerico coniugato gaudere privilegio clericali, si habitum deserat clericalem, & alicui Ecclesie deseruiat: quo privilegio priuatur eo ipso, quod laicè vivat; quia cessat tunc causa concessio: vt constat ex Trident. sess. 23. cap. 6. de reformat. & dictum erat in cap. ex parte, de clerico coniugato, cap. vnic. eod. tit. in 6. Sed hæc amissio non est absoluta, & in perpetuum, sed interim dum laicè vivit: nam si deposito habitu laico habitum clericalem deserat, & Ecclesie destinatus sit, gaudebit privilegio. Accipere aliud simile, quod adducit Didac. Perez lib. 8. tit. 2. lib. 1. ordinum. regul. Suarez lib. 8. de legib. cap. 36. n. 7. Bonacina disp. 1. quæst. 3. punct. vlt. §. 7. fine. Salas disp. 17. sect. 13. n. 68. de beneficiario, cui est privilegium concessum literandi fructus suæ præbendæ absque residentia ob studium literarum, qui si non student, amittit privilegium, non quidem absolute, sed quoad fructum illius, hoc est, pro tempore, quo non student, quia scilicet dum non student, non poterit gaudere privilegio, & virtute illius fructus præbendæ in absentia recipere: quia cessat conditio, seu causa sub qua privilegium est concessum: sicut enim beneficiarius absens à beneficio sine causa, non potest fructus illi temporè correspondentes lucrari; ita neque hic, qui illo tempore absque causa studij non vacat, non poterit similes fructus lucrari virtute privilegij; quia privilegium residentiam Ecclesie in studium commutare. vltim est: quæ omnia non leuiter confirmantur ex cap. generaliter, 16. quæst. 1. quod est sumptum ex l. generaliter. Cod. de Episc. & cleric. vbi eos tamen clericos, & monachos habere huiusmodi beneficij exemptionis à tutela testamentaria, dativa, seu legitima sancimus, qui apud sanctas Ecclesias, vel monasteria permanent, non diuagantes, neque circa diuina ministeria desides, cum propter hoc ipsum beneficium eis indulgamus. Addit tamen Salas illo num. 68. & consentione Suarez, & Bonacina *supra*, supradictam doctrinam procedere, quando ex privilegio constat solum ob illam causam, quæ cessat, esse privilegium concessum; scus verò si ob aliam quæ principaliter concessum fuisse, quæ tamen non cessaret, item quando cessat ob causam cessationem, privilegium non cessat in se, sed quoad fructum eius pro tali tempore, seu

modo operandi. Nam si postea velis bene vti, poteris fructu privilegij gaudere.

## PUNCTVM XXI.

## De amissione privilegij per reuocationem.

Prætermitto primò privilegium esse in triplici differentia: Primò est privilegium gratuitum, id est, ex libera Principis voluntate concessum. Et hoc contingit dupliciter. Aliud consistens solum in potestate, & licentia delegata ad aliquem vltim contra legem, vel præter legem: aliud, per quod ius in privilegiarium transferatur. Secundo est onerosum, & lucratiuum, quod datur ob aliquod onus, vel lucrum à privilegiario exhibitum. Tertio est privilegium remunerarium, quod datur in præmium, & remunerationem seruitiorum, quæ à privilegiario sunt Principi exhibita.

Præmitto secundo, privilegium & subdito, & non subdito concedi potest.

Præmitto tertio, privilegium, siue gratuitum siue onerosum, aliquando inuoluit dispensationem legis, aliquando non.

## §. I.

An privilegium gratis concessum reuocari possit.

1. Privilegium datum ob aliquem vltim validè reuocari potest absque causa, sed peccatum veniale committitur.
2. Privilegium transferens dominium privilegiarium nequit à concedente, neque ab eius successore reuocari.
3. Satisfit euidam obiectioni.
4. Expenditur, quæ causa sufficit ad reuocandum privilegium acceptatum, cuius privilegiatus habet dominium.
5. Princeps reuocans privilegium, quod sine causa reuocare non potest, tenetur probare causam adesse reuocationis.
6. An requiratur ad huius reuocationem ultra legitimam causam compensatio privilegij? Probabilis est non requiri.

1. Dicendum est, si privilegium consistat in facultate, & licentia delegata ad aliquem vltim, vel contra communem legem, vel præter illam, potest validè concedens, & eius successor reuocare, quando voluerit: peccabit venialiter: si absque vlla causa id fecerit, sic cum communi sententia tradit Felix, n. 8. 9. & 10. de iud. Thomas Sanchez lib. 8. de dispens. c. 33. n. 1. Suarez de legibus, lib. 8. cap. 37. n. 10. Salas disp. 17. sect. 14. n. 70. & disp. 20. sect. 18. n. 126. Matiez, lib. 5. in. 10. l. 6. num. 5. Bonacina disp. 1. quæst. 3. punct. 8. §. 3. n. 1. Basilius lib. 8. de matrim. cap. 19. num. 11. Prior pars conclusionis, scilicet validè posse reuocare hanc facultatem, constat; quia hæc est, quasi quedam delegatio: delegatus autem nomine delegantis operatur. Ergo ex voluntate delegantis cessare potest. Quod si hæc facultas, & licentia operandi contra communem legem, alicui subdito sit concessa; clariùs constat reuocari posse à concedente, quia potest ipse concedens exemplum à lege subditum iterum legi subijcere: quia cum non amiserit potestatem iurisdictionis in illum, poterit, circa illum exerce- re, denovo imponens præceptum, quod per privilegium sublatum fuit. Secundam partem conclusionis, scilicet in hac reuocatione peccatum veniale admitti, probao. Quia sine causa voluntatem mutare, leuitatis, & inconstantiæ est, & contra naturam beneficij Principis, quod decet esse mansuram, ex reg. decet, de reg. iur. in 6. & tradit pluribus exorans Molin, de primogen. lib. 4. cap. 3. n. 20. Sanchez num. 11. Bonacina n. 6. Salas disp. 17. n. 70. Limitat tamen Sanchez num. 6. & 7. supradictam doctrinam in concessione iurisdictionis, quam dicit reuocari posse pro libito absque causa, etiam sine vilo peccato, quia videtur semper hæc excepta, vt dicit, quoties concedenti placuerit. At decet retinendam esse communem sententiam, vs peccatum sit veniale hanc reuocationem facere absque causa, quia arguit leuitatem, & mutationem, & docet Suarez, Molin, Salas & alij, locis allegatis.

2. Verum si de privilegio, quod dominium transfert in privilegiarium, loquamur, siue subdito, siue non subdito concessum sit, non poterit concedens, neque eius successor reuocare validè absque causa, si iam fuerit acceptatum; quia donatio acceptata non potest ad libitum donantis reuocari. Aliàs absque causa poterit quis priuari rebus suis, sic cum communi sententia docet Suarez illo cap. 37. num. 7. Bonacina num. 5. Sanchez n. 2. Matiez, supradicta gloss. 1. num. 6. vbi plures refert. Molin, *supra* n. 21. Ex quo fit, si tibi privilegium sit concessum, decimandi, exigendi aliquid tributum, non potest Princeps pro libito à te tollere, quia possides illud tanquam bonum proprium, quo sine causa priuari non potes.

3. Neque obstat l. v. tit. 10. lib. 5. noua compil. vbi dicitur, Tenemos por bien q mandamos que las mercedes que se hizieren por

ita voluntati de los Reyes, que se puedan del todo reuocar. Quia  
lex videtur esse contraria, tum dicitur, tum l. 6. cod. rir. 10. lib. 5.  
ubi dicitur, Las causas que el Rey diere a alguno, no se las pueda  
quitar ni ni otro alguna sin culpa. Quia, vt bene explicat Ma-  
tiencz. l. 5. loquitur in quodam specialis facto, scilicet in benefi-  
ciis factis à Rege ex sola eius voluntate, sine consilio procedi-  
tum, vel loquitur de beneficiis, quæ à Rege sunt de redditibus  
sibi propriis, quales Hispani vocantur *curas*. Si enim de his  
feodum gratis alicui concedatur à Rege, poterit pro libito reuo-  
cari, quia conceditur sub hac conditione, vt duret, quoties  
concedenti placuerit: & traditur in l. 1. sine, tit. 26. part. 4. In  
aliis vero privilegiis, & concessionibus retinenda est communis  
sententia, non posse pro libito concedentis reuocari.

4. Sed inquires, quæ causa legitima sit ad reuocandum  
privilegium acceptatum à privilegiato, & cuius ipse habet  
dominium?

Respondeo, si privilegium non subdito fuit concessum, &  
ab illo acceptatum, nulla in concedente relinquatur reuocandi  
potestas, nisi in casu, in quo donatio perfecta reuocari potest;  
quia concedens non habet potestatem, neque in personam pri-  
uilegiati, neque in bonis illius; non igitur poterit privilegia-  
tum acceptatum priuilegio priuare: sicut enim Princeps ob bo-  
nam sui regni, non potest alterius regni subditum priuare bo-  
nis, ita neque poterit priuilegiis illi concessis, quia iam illa pri-  
uilegia bona sunt illius, & non concedenti subiecta: sic cum com-  
muni sententia docet Anon. Gabr. lib. 3. tit. de iure quæsitæ non  
relinquenda, conclus. 6. num. 20. Matienz. lib. 5. recopil. tit. 10. l. 6.  
gloss. 1. n. 4. Dixi, nisi in casu, in quo donatio perfecta reuocari  
potest: quia huius privilegij concessio, est quædam donatio;  
ac proinde ex illa causa, ex qua donatio reuocari potest, & pri-  
uilegium hoc reuocabile est: & notauit Matienz. cum aliis  
supra.

Sed dices. Poterit privilegium non subdito concessum cede-  
re in grave detrimentum concedentis vel regni. Ergo in tali  
casu poterit reuocari.

Respondeo ex illa causa, etiam donatio perfecta videtur  
reuocabilis, quod mirum si etiam privilegium reuocetur: Adde  
illam proprie non esse reuocationem, sed cessationem privilegij  
ex noua rerum mutatione; videtur enim concedi sub tacita  
conditione, dummodo damnum non sit concedenti, & regno.  
Aliis si concessum fuisset ea intentione vt extendere-  
retur ad euentum, in quo præiudicium graue concedenti vel eius  
regno afficeret, esset irrationabilis concessio, sic Suarez lib. 8. c. 37.  
num. 3. Si vero privilegium subdito fuerit concessum, clarum  
est reuocari posse ex illis causis, quibus donatio perfecta reuo-  
cabilis est. Item quoties in grauem iacturam Regis, vel regni  
cedit, vt ex non subdito diximus. Adde non solum ob has ratios-  
nes posse subdito reuocari privilegium acceptatum, & cuius ip-  
se habet dominium, sed etiam, quoties ad publicam utilitatem  
spectauerit talis reuocatio; quia cuiusvis bona subditi subdan-  
tur dispositioni Principis in ordine ad publicam utilitatem, Ergo  
in illis casibus, in quibus potest. Princeps subditos priuare  
bonis suis, poterit & privilegia illis concessa reuocare. Adde  
hanc non esse tam reuocationem, quam cessationem privilegij;  
videtur enim sub hac tacita conditione concessa, vt duret,  
quoties ad publicam utilitatem, eorum cessatio non pertinuerit:  
sic docet multis relatis Matienz. lib. 5. tit. 10. l. 6. gloss. 1.  
num. 11. & 12. Suarez numer. 5. Basilus lib. 8. cap. 19. §. 22.  
num. 13.

5. Sed inquires secundo, an quoties Princeps reuocat pri-  
uilegium alicui concessum, quodque absque causa valide reuo-  
care non potest, reuocatur probate causam, vel sufficiat, si adesse  
affirmet?

Respondeo probabilis videri teneri probare causam; aliis  
nihil esset firmum, sed facilissimo negotio posset Princeps ius  
tertio quantum auferre: sic docet multos allegans Matienz.  
lib. 5. recopil. tit. 10. leg. 6. glossa 1. n. 16. reddi que rationem;  
quia ubi aliquid pertinetur ex aliqua causa, & ea deficiente est  
prohibitum, satis non est causam exprimere, nisi verè proberetur:  
& docet Bart. in l. si forte, per illum textum, ff. de castrensi pe-  
cunio, & in l. si donatione, ubi late moderni Cod. de collacione  
lib. Ripa lib. 2. respons. tit. de scriptis, cap. 19. num. 19. latissime  
omnium Aymon Craterra de antiquis, tempor. in princ.  
num. 16. & deinceps vt que in finem.

6. Inquires tertio, an requiratur non solum iusta causa ad  
validam reuocationem huius privilegij, sed etiam aliqua illius  
compensatio? Videtur requiri, quia priuatur privilegiatus ius-  
tam quæsitio. Ergo est illi debita satisfactio: si enim aliis bo-  
nis priuatur, debet Princeps recompensationem quoad posse  
facere. Ergo etiam debet pro privilegio, quod bonum illius  
est. Nihilominus tamen probabilis censo, non requiri ex ius-  
tissima compensationem. Quia licet privilegium sit bonum pri-  
uilegiati, est tamen bonum gratis illi donatum. Ergo habet  
conditiones donationis, quæ reuocari absque compensatione  
potest, cum adest legitima causa reuocandi. Non enim concedens  
privilegium gratis, intendit hanc sibi obligationem im-  
ponere non reuocandi, causa iusta intercedente, nisi facta re-  
compensatione; sed potius præsumitur concedere sibi potesta-

te reuocandi absque recompensatione, cum iusta causa inter-  
cesserit: & ita relato Decio in cap. nouit, num. 7. verbo quar-  
da fallit, de iudiciis, docet Suar. lib. 8. cap. 17. num. 9. Basil. de  
Leon lib. 8. cap. 19. §. 22. n. 13. Bonacina disp. 1. quæst. 3. punct. 2.  
§. 3. num. 3.

§. II.

Reuocari posse privilegium onerosum, & remuneratorium.

- 1 Non potest hoc privilegium reuocari, nisi causa boni commu-  
nis intercedat, & satisfactio à reuocante exhibeatur.
- 2 Dispensationes concessæ pro foro externo non possunt, nisi su-  
pra dictis conditionibus intercedentibus reuocari.
- 3 Privilegia concessa in Bulla non reuocantur anno lubilai.
- 4 Extenditur doctrina ad privilegium remuneratorium.
- 5 Probabilitate non caret ad huius reuocationem requiri com-  
pensationem.
- 6 Explicatur quid requisitum, vt privilegium censatur con-  
cessum in remuneracionem.
- 7 Censeantur probata merita, si concedens adesse affir-  
met.

1. Privilegium concessum per contractum, id est, sub onere  
alicuius pretij, vel operis exhibendi, reuocari à conceden-  
te non potest, nisi legitima causa interueniat, quæ nulla alia est,  
nisi communis boni, & utilitatis publicæ: iuxta superius dicta;  
& in iure tenetur reddere pretium, si accepit, quod si pretium  
non accepit, sed opus iniunxit, tenetur reddere æquivalentiam  
illius operis, aliàs nulla erit reuocatio, vt potest inuisa sic multis  
allegatis probat Matienz. lib. 5. noua compilat. tit. 10. leg. 6.  
gloss. 1. n. 13. Gregor. Lopez leg. 2. tit. 1. part. 2. verbo, buen  
cambio, per text. ibi Sanch. lib. 8. disp. 33. n. 9. Suar. alios alle-  
gans lib. 8. cap. 17. n. 5. Salas disp. 17. sect. 14. n. 70. & disp. 20.  
sect. 4. n. 22. vbi prædicta temperat, præcipue tamen sect. 18.  
n. 26. Bonac. disp. 1. q. 3. §. 3. n. 2. Valquez in opusculo  
c. 6. §. 2. dub. 1. num. 55. & dub. 2. n. 33. Lessius lib. 2. de iustit.  
c. 33. dub. 4. n. 35. Bail. de Leon lib. 8. de mutim. cap. 19. §. 2.  
num. 13. Azueved. lib. 1. recopil. tit. 3. leg. 4. n. 41.

2. Ex hac doctrina inferuntur primò dispensationes concessas  
pro foro externo à Pontifice in gradibus prohibitis ad con-  
trahendum matrimonium, non posse ab eodem reuocari, nisi  
causa iusta intercedat, & in iure reddatur pretium ei, cum quo  
fuit dispensatum; sic Sanch. supra n. 13. Bonacina n. 1. Bail.  
n. 13. Salas disp. 10. sect. 18. sub finem. Et ratio est manifesta:  
quia data est dispensatio, & privilegium ob pecuniam solu-  
turam.

4. Inferuntur secundo, privilegia in Bulla cruciata concessa  
non reuocari per lubilium, quod olim centesimo anno conce-  
di solebat, & nunc 25. anno conceditur, quamvis Pontifex di-  
cat se reuocare omnes gratias, privilegia, & faciat res singula-  
ribus personis quacunque dignitate fulgentibus, etiam Regi-  
bus ex quacunque causa sint concessa: ad ius non reuocantur  
concessa in Crucjata, quia illa sunt concessa sub contracto onero-  
so, cuius debebat specifica mentio fieri; concessa enim sunt  
privilegia Bullæ singulis, quia singuli signantur illam elemo-  
synam tribuere, & non aliàs; vt constat ex illi. vbi, porque days  
tanta limosna os concedo, &c. debebat in iure reddi vnicuique  
elemosyna data, aliàs reuocatio esset iniusta, & nulla: & ita  
tradit Henric. lib. 7. de indulg. cap. 21. n. 7. Manuel in exposi-  
tione, §. 12. num. 13. Bonacina disp. 1. quæst. 3. punct. 8. §. 3.  
n. 13. Salas disp. 20. de legit. sect. 18. circa finem, §. hinc colligi-  
tur, Sanch. disp. 13. n. 10. & testatur Clementem VIII. sic ex-  
plicasse, & anno 1615. in tota Hispania publicata fuit Crucja-  
ta, & valorem habuit, & Pontifex Virbanus VIII. declarauit 15.  
Februarij non esse eius mentem per lubilium Romanum gratias  
indulgentias, & facultates in Crucjata concessas suspendi,  
idem tradit Bail. de Leon lib. 8. de dispensationibus, cap. 19.  
n. 13. vbi addit hæc valide obseruanda esse ad ea, quæ nonnulli  
dicunt de reuocatione Bullæ comparatione Religiosorum.

4. Idem quod dicimus de privilegio dato per contractum  
onerosum dicendum est de privilegio remuneratorio, siue re-  
muneratio fuerit debita ex iustitia siue ex gratitudine; quia  
quocunque modo debita sit, cedit priuilegiatus illius debito ob  
privilegium sibi concessum: eaque de causa transit in contra-  
ctum sic relato Felino cap. nouit. de iudiciis, n. 11. docet Sanch.  
supra n. 5. Basil. n. 13. Suarez n. 6. Matienz. lib. 5. recopil. tit. 10.  
leg. 6. glossa 1. n. 18. latius dixit tit. 7. leg. 1. glossa 1. & glossa  
9. Bonacina n. 2.

5. Sed est difficultas, an non solum ad huius reuocationem  
causa publica requiratur, sed etiam aliqua compensatio. sicuti  
diximus de privilegio concessa per contractum onerosum?  
Negant, erit dubitant. Suar. Basil. Bonac. quando remuneratio  
non est debita ex iustitia sed solum ex gratitudine. Et ratio est  
potest, quia reuocans privilegium reducit res in pristinam  
situationem; & consequenter reddit privilegiato sua merita, quo-  
rum

DE  
ASTRO  
PALATIO  
TONI  
IIII  
E. IV.

rum cessionem fecerat ob privilegium: cum autem illa merita non exposuerit ex iustitia compensationem, non videtur compensatio illi debita esse. Faceret hoc esse satis probabile: ac probabilitate non caret requiri compensationem ex iustitia, non quidem propter merita practice, sed propter cessionem illorum, quam fecerat ob privilegij consecutionem; quæ cessio pretio quidem est estimabilis, cum sit actio libera damnosa cedenti, & utilis cessionario: quæ tamen nunquam redit, etiam si redeant merita. Quapropter reliqui omnes Doctores eodem modo de privilegio remuneratorio, ac de privilegio per contractum onerosum, & lucratum loquuntur.

6 Secunda est difficultas. Quid requiratur, ut privilegium censetur concessum in præmium, & remunerationem meritorum?

Respondeo non sufficere generalem mentionem meritorum, sed requirunt specialis; ita ut expressè dicat: Ob hæc, & illa merita tibi hoc privilegium concedimus. Ratio est, quia privilegium ob merita concessum debet meritis adæquari, sed non potest constare hæc adæquatio, nisi merita exprimentur. Ergo. Secundo, quia generalis mentio meritorum in privilegio facta potius videtur pro honore privilegij fieri, quam pro veritate. Quapropter repuranda est, ac si facta non fuisset, argument, l. quod venditor, & ibi notatur, ff. de aolo, & l. si quid venditor, & l. seg. ff. de adlit. edict. Tertio, quia obscura, & dubia locutio nullius effectus esse videtur, ex l. ubi autem, §. qui illud, ff. de verb. obligat. l. cum incertis, ff. de legatis 1. l. ultim. C. de annal. except. At generalis locutio meritorum dubia est, & obscura, ex l. prator edixit, in princ. ff. de minoribus. Ergo non amplius valet, quam si apposita non fuisset; & ita tradit pluribus exornans Tiraquell, in l. si unquam, C. de reuoc. donat. verbo donatione largitus, n. 85. Socin, conf. 395. n. 8. vers. 4. casus, lib. 2. Matienz. lib. 5. recop. tit. 10. l. 15. gloss. 12. n. 2.

7 Tertia est difficultas, an hæc merita censentur probata ex eo solum, quod concedens privilegium illa esse asseruerit?

Respondeo, si merita specialiter fuerint expressa, sufficienter censentur probata ex Principis asseritione, maxime si per instrumentum publicum id asserit: secus si solum generaliter dixerit, quia est bene mentus, sic lal, consil. 227. vol. 9. vers. 9. pro ista parte, lib. 2. Gregor. Lopez in l. 3. tit. 10. p. 2. verbo la mercede, & multis allegatis Matienz. lib. 5. recop. tit. 10. l. 6. gloss. 1. n. 19. & l. 15. gloss. 12. n. 5. Limitat autem hæc asseritionem Matienz. & Greg. Lopez, & Tiraquell, in d. l. si unquam, verbo donatione largitus, num. 77. dummodo Princeps prohibitus non sit alienare, nisi præcedant merita: nam tunc secundum communem sententiam merita non probantur, etiam si expressa fuerint. Quia præsumuntur expressa, ut eius donatio valeat, ex l. qui testam. & ibi gloss. ff. de probation. Quod ad hoc verum est, ut non sufficiat, etiam si iuramentum in eius confirmationem addiderit, ut ipse Tiraquell. num. 79. & Matienz. l. 15. gloss. 12. n. 7. probant.

§. III.

Quis possit suprascripta privilegia gratuita, onerosa, & remuneratoria reuocare, casu quo reuocabilia sint.

- 1 Concedens, & eius in dignitate successor optime potest.
- 2 Quid dicendum de dispensatione inferioris in lege superioris? Affirmant aliqui posse reuocare.
- 3 Probabilis est oppositum.
- 4 Duo inde inferuntur notanda.
- 5 Quid dicendum de inferiori prelato? An illius superior possit reuocare dispensationem ab illo factam.

1 Clarum est fieri posse à concedente privilegium, & eius successore; quia habet eandem cum illo iurisdictionem. Quod non solum in supremo Pontifice, in quo resolutio certa est, sed etiam in quolibet inferiori habet verum: licet Anton. Gabr. alios referens lib. 3. tit. de iure quæsto non tollendo concl. 7. n. 9. contrarium dicat absque fundamento, ut bene aduertit Suarez illo cap. 37. num. 12. Basil. cap. 19. num. 15. Ratio est, quia privilegium solum iurisdictionem concedentis spectat, & ab ipsius solum voluntate pendet. Ergo poterit sicut supremus illud tollere; quia in illius concessionem tanquam supremus operatur.

2 Difficultas est, an sicut privilegium concedens contra ius proprium, potest validè illud reuocare absque legitima causa; id ipsum possit inferior dispensans, vel concedens privilegium contra legem superioris, quando illi concessa est facultas dispensandi?

Affirmant aliqui fieri posse. Tum quia facultas ab his Prælati concessa habet tacitam conditionem, ut perscreret quoties ab ipsis non fuerit reuocata. Tum quia ipsi intendunt per dispensationem factam non derogare suæ iurisdictioni, sic tra-

dit Bonacina disp. 1. q. 3. punct. 8. §. 3. n. 11. reputat probabile Suar, lib. 8. cap. 37. n. 15.

3 At mihi probabilis est, validè inferio rem absque causa, reuocare non posse dispensationem à se factam: causa autem interueniente, posse, docet Sanch. disp. 33. n. 12. cum glossa e. cum ex eo, verbo septennium, de elect. in 6. & ibi Archidia. Dominic. Francus, & alij. Roman. singul. 519. Salas disp. 20. de legibus, sect. 18. fn. Bafilus de Leon lib. 8. cap. 19. num. 15. & reputat probabile Suarez num. 14. & 16. addit: cum conceditur pro tempore limitato dispensatio, valde probabile esse reuocari non posse, argument. textus in cap. unico, de commo. dano, ubi dicitur rem commodatam ad certum usum, vel tempus, non posse ante illud repeti: & subdit rationem, cum non deceat beneficio nos decipi, sed iuari. Item quia pro toto illo tempore abstulit legem superioris, quam ipse inferior restituere non potest. Ratio verò generalis ea est, quia inferior non potest validè dispensationem in lege superioris, concedere, absque causa. Ergo neque etiam poterit dispensationem iam concessam absque causa reuocare: cum enim ex voluntate superioris operatur, non est vnde colligatur voluntatem superioris esse, ut validè absque causa reuocet, eam tamen absque causa non possit validè concedere? Neque obstat ratio in contrarium, quia dispensatio fuit absoluta, & grauis fingetur habuisse conditionem.

4 Ex quo inferunt primò, non posse absque causa Episcopum reuocare licentiam parochi concessam ad non refundendum, vel ad differendos ordines ratione studij, quia est dispensatio in lege superioris, quæ ipse demò stabilire non potest: sic docent Sanchez, Salas, Basil. & alij, num. præcedenti telati. Secundo inferunt dispensationes à lacta Pœnitentia concessas non posse absque causa ab ipsamet reuocari ex eadem rationem. Quia voluntas Pontificis est, ut semper causa interueniente vtatur iurisdictione, sic Salas suprâ, & tenentur reliqui consentire.

5 Sed quid dicendum de inferiori Prælato, an illius superior possit reuocare dispensationem ab illo datam valide absque causa?

Respondeo, si Pontifex sit, qui reuocat, validè reuocare, quia ab illo omnis iurisdictioni pendet; & quia potest denuo legem ablatam imponere, & subditum ab alio exemptum illius obligationi subdere: At inferiores Prælati non videntur posse, eo quòd videatur iniustum priuare inferiorum viù legitimo suæ ordinariæ iurisdictioni: sic docet Sanchez disp. 33. numer. 7. cum Suarez, tom. 4. in 3. part. disputat. 2. 6. sect. 3. num. 3. & lib. 8. de legib. cap. 37. num. 17. sine. Bafilus lib. 8. c. 19. num. 15. sine.

§. IV.

Qua ratione facienda est renocatio privilegij, vel dispensationis, ut censetur effectum habere.

- 1 Dupliciter reuocari privilegium potest.
- 2 Clausula generalis in renocatione expressa sufficit.
- 3 Excipiuntur privilegia concessa per modum contractus, oneris, sive remunerationis.
- 4 Item privilegia habentia clausulam, ut non possint derogari.
- 5 Item privilegia inserta in corpore iuris.
- 6 Quid si privilegia sint in Concilio generali, debet expressè illius mentio fieri.
- 7 Sublimitanda hæc sunt, nisi aliter constet de voluntate derogantis.
- 8 Derogatio tacita, que consistit in contrarietate posterioris privilegij, cum antiquo derogat antiquum, si concedatur ex scientia prioris privilegij.
- 9 Quomodo præsumitur hæc scientia, Distinguitur ad eius explicationem triplex derogationis modus.
- 10 Si privilegium insertum sit in corpore iuris lege vniuersali contraria derogatur, secus si extra corpus iuris sit.
- 11 Idem dicendum, cum alio privilegio contrario derogatur; si in corpore iuris sit insertum.
- 12 Proponitur obiectio, & si illi satis.
- 13 Extra corpus iuris privilegium non derogatur, nisi illius fiat mentio, qui tenentur.
- 14 Probabilis est secundum privilegium valere non obstante generali priori.
- 15 Satisfit arg. n. 13. adductis.
- 16 Per sententiam derogari privilegium; quibus probetur.
- 17 Reuocatur, si condemnatur reus in amissione privilegij, seu per sententiam contrariam.
- 18 Satisfit rationibus, n. 16. adductis.

1 Dupliciter reuocari privilegium, vel dispensatio potest. Primò expressè. Secundo tacitè. Expressè reuocatur, quando verbis expressis reuocatio fit. Tacitè reuocatur,

atur, quando Princeps actum facit, qui cum privilegio stare non potest.

2 Loquendo igitur de revocatione expressa, dicendum est, regulariter loquendo, sufficere clausulam generalem, quia Princeps dicit velle tale privilegium, vel constitutionem valere, non obstantibus quibusvis privilegiis in contrarium; quia hæc de se sufficiens est qualibet contraria privilegia abrogare: sic Doctores statim referendi.

3 Limitanda tamen est primò in privilegiis concessis per modum contractus, siue onerosi, siue remunerativi, hæc enim revocata non censetur sub quacunque clausula generali, nisi exprimitur in revocatione privilegia etiam per contractus revocata; quia cum hæc privilegia irrevocabilia sint ob ius tertio quæsitum, nisi causa publica intercedente, & compensatione, quoad fieri possit, facta, nullo modo illorum revocatio debet præsumi, quovisque exprimat: sic aliis relatis Sanchez disp. 33. num. 8. Suarez lib. 8. cap. 38. num. 3. Bonacina disp. 1. q. 3. punct. 8. n. 11. Salas disp. 17. sect. 14. n. 71. 73. & 79. ad finem. Azor lib. 5. cap. 12. q. 11. Basil. lib. 8. c. 19. n. 16. Azuced. lib. 1. resp. tit. 3. leg. 14. n. 42.

4 Limita secundo in privilegiis habentibus clausulam, vt derogari non possint, nisi eorum specifica mentio fiat. Tunc enim vt revocata censentur, debet addi aliqua clausula, qua hæc privilegia videantur contineri, vt si dicat Princeps: Revocatas privilegia in contrarium, etiam clausulam habeant, vt derogari non possint, nisi de verbo ad verbum illorum fiat expressa mentio. Tunc enim clarum est derogari; quia illa lege, quam sibi Princeps imposuit, ne revocare censeatur, nisi exprimendo privilegium revocatum, iam dispensat per illam revocationem. Adde sufficere, si dicat se revocare privilegia in contrarium, sub quacunque forma concessa sint: nam illa verba, sub quacunque forma concessa, aiquid operari debent, ac prout de revocatori debent esse privilegiorum habentium clausulam revocatoriæ quorumcumque privilegiorum, aliis suspensibus essent, contra textum in cap. si papa, de privilegiis, in 6. ibi, cum verba alicui operari debeant, & 13. in princ. ff. de iurisdictione, ibi, nec frustra adhibetur, sic Doctores in cap. nonnulli, de rescript. per textum ibi. Felin. num. 6. & habetur Clem. 1. & 2. de sepulchris, & tradit Suar. cap. 38. n. 2. Basil. n. 36. Bonacina n. 11. Salas disp. 17. sect. 14. n. 71.

5 Limita tertio in privilegiis insertis in corpore iuris: hæc enim, quia non solum sunt privilegia, sed canones, & leges, quovisque legum, & constitutionum fiat derogatio, non censentur derogata, tradit Basil. num. 16. Suarez num. 1. Salas disp. 17. sect. 14. sub n. 73. cum glossa in l. 3. C. de silentiariis, & de iurisdictione lib. 10. lal. in l. 1. ff. soluto matrim. glossa, & Doctores Authen. quia in provincia. C. ubi de crimine agi oportet, verbo omni privilegio.

6 Addendum tamen est, si privilegia sint à Concilio aliquo generali stabilita, tunc non sufficit clausula derogatoria quorumcumque privilegiorum, sub quacunque forma fuerint concessa, aut constitutum, & canonum, vt censentur revocata, sed insuper debet exprimi Concilium, saltem sub generalibus verbis, dicendo non obstante quacunque constitutione, etiam in Concilio generali edita: colligitur ex cap. ex parte, cap. volumus, de capellis monach. cap. nonnulli, de rescript. & tradit Couart. 4. var. cap. 16. num. 6. & 4. decretal. 1. part. cap. 8. §. 9. n. 6. Menoch. volum. 3. consil. 294. n. 11. & 12. Mol. de iur. tract. 2. disp. 173. v. occisione, pag. mihi 630. Sanch. lib. 3. disp. 26. n. 7. vbi prius refert. Bonacina disp. 1. quæst. 3. punct. 8. n. 13. Padilla in L. vniuersi. C. de diversis rescriptis (esto contra teneat Basil. de Leon lib. 6. cap. 1. q. 1. n. 19. vbi affirmat ita declarasse Pium V. in quadam extrauaganti, & praxim Ecclesie idem testari. Fallitur tamen meo iudicio: si enim Pius V. ita declarasset, & praxi Ecclesie ita esset receptum, ignorari non poterat à tot ita doctis, & eruditis viris. Item debebat ostendere extrauagantem, in qua Pius V. declaravit. Præterea addit pro se glossam in cap. ex parte, de capellis monach. approbatam ab Innocent. & aliis, quæ illi non fauet, sed potius oppositæ sententiæ, nam in illo cap. ex parte, verbo, nulla mentio, dicit. Si quis litteras impetret contra aliquod ius, siue Concilium, non valent, nisi fiat mentio de illo iure: & refert se ad cap. nonnulli, de rescript. vbi verbo fecerit mentionem, dicit: Relcriptum debet facere mentionem de constitutione, ad hoc, vt ei præiudicet: & in magis ne additur, communiter non exprimitur nomen constitutionis, sed dicitur: Non obstante constitutione de duabus dicitur edita in Concilio generali. Ecce qua ratione mentio faciendæ est illius constitutionis, vel in genere constitutionis, addendo conciliaris. Rationem reddit Menoch. & Sanch. quia constitutio Concilij generalis ob eius grauitatem censetur habere tacitam clausulam derogatoriæ ad postea concedenda, & unico, de excessibus Prelatorum, Innocent. & Ioann. And. in cap. ex parte, de capellis monach. Ergo non censetur derogata, nisi illius fiat specifica mentio, Attameo Sanchez, cum Henric. lib. 7. de indulgent. cap. 16. n. 3. Vivald. candidab. 3. p. cap. 12. n. 12. Si Concilium generale modernum sit, quale est Tridentinum, non sufficere clausulam derogatoriæ cuiuscunque Concilij; sed requiri specifiçam Tridentini mentionem. Sed non video, quo

fundamento hoc dicatur, cum omnia Conciliorum decreta æqualis autoritatis sint. Imò potius pro decretis Trident. censo non esse necessariam specialem, imò neque generalem derogationem, eo quòd in decreto vltimo eiusdem Concilij sess. 25. declaratur omnia in dicto sacro Concilio statuta de morum reformatione & Ecclesiastica disciplina ita decreta fuisse, vt in his salua semper authoritas Sedis Apostolicæ, & sit & esse intelligatur: ac prout cum contrarius Pontifex decernit, Concilio non contradicit, sed facultate ibi expressa vitur. Ergo si indiget derogatione, sic aliis relatis docet Nicol. Garcia 4. part. de benef. cap. 5. n. 30. & n. 32. adducit motum proprium Pij V. editum anno 1570. in quo declarauit neque speciali, neque generali derogatione Concilij Tridentini opus esse in quibusvis concessionibus Apostolicis propria manu Papæ signatis.

7 Hæc tres limitationes sublimandæ sunt, nisi aliter constet de voluntate derogantis; si enim clarè constet velle Principem sub verbis generalibus privilegia hæc exempta derogare, derogata erunt; quia hæc, vel illa verba apponit derogans, ad denotandam suam voluntatem. Ergo quocumque modo voluntatem clarè significet, etiam formam communem clausulæ derogatoriæ non seruet, privilegium reuocabit: & ita tradit Bonacina n. 13. circa finem. Iulius Clatus dicens esse communem lib. 3. receptorum, §. testamentum, q. 99. versic. carorum. Sarmiento lib. 3. select. cap. 14. n. 7. Henric. lib. 7. de indulg. cap. 26. n. 3. Couart. rubr. de testamentis, 2. part. n. 19. versic. quarta conclusio. Sanchez lib. 3. disp. 26. n. 7. in medio, & habetur in decisionibus Fatimacij decif. 614. n. 1. tom. 3. pag. mihi 84. Ex quo fit dispensationes super impedimento affinitatis & consanguinitatis obtentas à Pontifice, vel à sacra Penitentiaria cum clausula, Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus, Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque, validas esset, etiam non fecerint expressè mentionem constitutionis contrariæ Concilij generalis, relati in cap. non debet, de consanguinit. & affinit. Quia ex vlt. & praxi satis iudicatum est voluntatem Pontificis esse pro illo casu speciali, & certo Concilij generalis dispositioni derogate. Præterea, quia illa generalis derogatio solum habere potest effectum circa illius Concilij generalis dispositionem; quia nullibi est alia prohibitio. Ergo reputari debet, ac si derogatio esse specifica, ex l. 2. ff. de liberis, & posthum. vbi lal. & ita tradit, relato Felin. Ioann. Sanch. lib. 8. de matr. disp. 35. n. 17.

8 Si autem derogatio non expressa sit, sed tacita, eo quòd lex, vel privilegium nuper laum contrarietur præcedenti, non leuis est inter Doctores controversia quòd debeat præualere: Alij affirmant præualere primum, alij secundum.

Et quidem si secundum privilegium contrarium priori concedatur, ex scientia, & notitia prioris privilegij, certum est derogare illud ea in parte, in qua illi est contrarium, quia aliàs intenderet concedens facere actum nullum, quod non est de Principe præsumendum. Dixi, derogare primo privilegio ea in parte, in qua illi est contrarium; quia contingere potest, vt secundum privilegium, vel dispensatio saluetur, cum sola derogatione prioris privilegij quoad partem: & tunc solum quoad illam partem debet cessare privilegium derogatum. Vt si alicui habenti privilegium non soluendi tributum, exigatur de mandato Regis tributum, reparandum est exigi pro illa vice, vel pro illo anno: & tunc secundam illam, & quoad illam partem privilegium derogabitur, non tamen omne privilegium, sed integrum manebit pro annis sequentibus: derogatio enim est odiosa, ac prout restringenda: sic docet ex communi sententia Suarez lib. 8. cap. 38. num. 6. Basilius de Leon lib. 8. cap. 19. §. 1. num. 17. Bonacina disp. 1. quæst. 3. punct. 8. n. 4. sine. Dixi insuper debere secundum privilegium vel actum prioris privilegij contrarium, procedere ex notitia & scientia prioris privilegij, aliàs non derogabit; quia hæc derogatio debet esse libera, & voluntaria, & consequenter ex cognitione saltem virtuali derogati procedens. Quod aperè colligitur ex c. nonnulli de rescript. c. 1. de consil. in 6. & ex litem Vipian. §. sum. & alij, ff. de excusat. tutor. vbi facultas concessa tutori ad mutandum domicilium censetur virtualis facultas dimittendi manus, & sollicitudinem tutoris, si data fuerit ex rescripto Imperatoris scientis illum tutorem esse; quare seclusa illa scientia talis voluntas præsumitur.

9 Tota ergo difficultas sita est in explicando, quando præsumenda sit & scientia, & voluntas in Principe, cum verba privilegij, legis, vel rescripti nihil aliud contineant, quàm nomen dispositionem repugnantem priori privilegio. Pro cuius explicatione suppono tripliciter privilegium derogari posse, Primò lege aliqua generali contraria supradicto privilegio. Secundò privilegio contrario alio concessio. Tertio sententia data contra primum privilegium.

10 De primo ergo modo derogationis per legem aliquam vniuersalem, in qua non adest clausula derogatoria, distinguendum est, aut privilegium derogandum est insertum in corpore iuris, aut extra illud: si est insertum in corpore iuris, illa lege vniuersali derogatum manet; quia ea quæ sunt in corpore iuris inserta, non præsumuntur à Principe ignorata ex



c. 1. de constit. in 6. Adde. huiusmodi privilegium insertum in corpore iuris, est lex communis. Lex autem communis alia communi lege contraria abrogatur absque eo quod præcedentis fiat mentio; ut videtur constare ex l. sed & posteriores ff. de legibus. ubi, nisi contraria sint, & tradit glossa in supradicto. c. 1. verbo reuocare & verbo noscitur. & Doctores statim referendi. Si vero privilegium derogandum extra ius commune sit, non derogatur lege vniuersali illius mentionem non faciente quia non præsumitur in Principe illius privilegii scientia ut pote ius speciale, & priuatum, quod ad notitiam Principis non semper venit iuxta cap. 1. de constit. in 6. ubi licet Princeps presumatur scire ea quæ sunt iuris communis, tamen ignorare posse iura facta, & consuetudines priuatas. sic ex communi sententia docent Salas disp. 17. sect. 14. num. 74. Bonacina disp. x. quest. 3. punct. 8. §. 3. n. 15. Basil. lib. 8. cap. 19. num. 19. Suarez, lib. 8. c. 39. num. 2. pluribus exornans Matienz. lib. 5. recopilat. tit. 11. l. 8. gloss. 12. numer. 6. & 7. & constat ex cap. cum ordinem. cap. nonnulli. de rescriptis. & tradit glossa ibi & in cap. 1. eod. tit. & in l. 3. C. de silentiariis. lib. 12.

11 De secundo modo derogationis, alio scilicet privilegio; distinguendum similiter est de privilegio inserto in corpore iuris, & extra illud Et dicendum. si privilegium sit insertum in corpore iuris, derogatur secundo privilegio, ea in parte, quia illi contra unum est, etiam illius mentionem non facit, quia præsumitur scitum à Principe, ex cap. de constitutionibus. in 6. Quod verum habet, siue secundum privilegium derogans sit speciale, siue generale, siue inseratur iuri, siue non. sic docent Salas numer. 75. Basilus numer. 19. Bonacina numer. 17. Suarez numer. 2. & 5. & alii ab eisdem relati. Esto contra teneat Saa verbo gratia, num. 19. in vtraque editione.

12 Sed obicitur. Rescriptum, seu mandatum contra communem legem non habet effectum, nisi illius mentionem faciat iuxta l. rescripta. C. de precibus Imperatori offerendis, & habetur in cap. rescripta. 2. §. quest. 1. & tradit glossa in cap. nonnulli. de rescriptis. verbo securis mentionem. & in cap. ex parte de capellis monach. verbo nulla mentio. & ibi Abbas, referens multos alios: & rationem reddunt, quia rescriptum est particularis actus, qui non præsumitur factus cum tanta consideratione: & aduertentia ad leges oppositas. Ergo etiam privilegium contrarium iuri communi non habet effectum, nisi iuris communis mentionem faciat.

Propter hanc obiectionem respondeo primò limitandam esse communem sententiam, ut intelligatur de privilegio perpetuo, quod quia matura consideratione conceditur, præsumi debet consideratum etiam ius, cui opponitur. At si privilegium sit temporale pro aliquo actu vel pro limitato tempore, tunc præsumi potest in concedente ignorantia iuris communis oppositi, ac proinde illius debet mentionem facere; hoc enim privilegium sic limitatum non videtur differe à rescripto. Fauerit huic modo dicendi aliquantulum Salas disp. 17. sect. 14. circa finem. 77.

Respondeo secundo concedendo antecedens, & negando consequentiam. Et ratio disparitatis est, quia rescriptum debet esse iuxta commune ius, quando aliud non exprimitur: ac dispensatio, & privilegium potius est illi contrarium; eaque de causa rescriptum non derogans ius commune, non valet, valet tamen privilegium & dispensatio.

13 Quod si primum privilegium sit extra corpus iuris, nunquam derogatur subsequenti privilegio, nisi illius mentionem faciat, siue utrumque sit generale, siue utrumque speciale, siue primum speciale, & secundum generale. Ratio est, quia præsumitur secundum concessum ex ignorantia prioris ex c. 1. de constit. in 6. & videtur satis probare ex c. cum ordine. de rescriptis. ubi privilegium Cisterciensibus concessum non derogatur per subsequens privilegium illius mentionem non faciens. sic Suarez num. 6. Basilus num. 21. Salas sect. 14. num. 74. Bonacina disp. 1. quest. 3. punct. 8. §. 3. n. 17. circa finem. At si primum sit generale, & secundum speciale videtur primum semper præuolare, si illius non sit facta mentio: tum quia præsumitur semper ignoratum, eo quod non sit in iure communi insertum, cuius tantum scientia præsumitur: tum quia videtur esse privilegiatio ius quæsitum, cui non censetur Princeps derogare velie, nisi illius fiat specifica mentio. Tum denique, quia in cap. ex parte. d. officio delegati, ubi rescriptum speciale ad Archidiaconatum auunculi obtinendum, non derogat priori rescripto generali ad Archidiaconatum primo vacatum obtinendum. Item in cap. ex tua, de filiis presbyterorum, secundum scriptum speciale priori generali non derogat. sic glossa in reg. generali de reg. iuris in 6. Panormitan. c. veniens de prescriptionibus, num. 12.

14 At probabilius censo secundum privilegium valere non obstante generali priori. Moueor tum quia regula est in iure expressa, genus derogari per speciem maximè, quando species subsequitur reg. 4. de regul. iuris in 6. tum quia secundum speciale privilegium non est directè contrarium primo generali: sed solum est quadam exceptio illius. Quam exceptionem faciendi non est credendum Principem sibi abdicasse po-

restatem, cum primum privilegium generale concessit: & tradit glossa cap. 1. de rescriptis, cap. pastorali. §. quoniam, eodem. & in reg. generali lib. 6. & in l. doli clausula. ff. de verbo obligatio. & probatur satis ex cap. dudum §. nos igitur de præbendis in 6. & c. quamuis tibi eodem tit. & tradit Basil. lib. 8. cap. 19. num. 21. Suarez lib. 8. cap. 39. num. 7. Bonacina num. 17. vers. secundo limitat. Salas num. 74. & 79. Limitanda tamen est iuxta prædicta doctrina, casu quo privilegiatus generaliter non acquirit virtute privilegii ius in re, circa quam secundum privilegium conceditur: nam tunc est censendus reatus in cap. fin. de concess. præbenda. in 6. sic Panormitan in d. c. veniens n. 12. Suarez n. 8. Bonacina n. 17. fine. Salas n. 74. fin. Basil. illo c. 19. circa finem. num. 26. & facinus ea, quæ tradit Molin. de Hispan. primogen. lib. 4. cap. 3. num. 13. num. 21.

15 Neque obstant rationes adductæ pro sententia Panormit.

Ad primam concedo generale privilegium ignorari, cum speciale conceditur, sed illam ignorantiam non obitare, quominus secundum privilegium speciale validum sit: tum quia non est propriè contrarium priori privilegio, sed quadam illius exceptio tum quia illa ignorantia censetur concomitans, quia eodem modo conceditur privilegium secundum cognitio priori, ac illo ignorato; ut dicitur in iuxta prædicta cap. dudum; & notat Basil. num. 25. Suarez num. 8. Bonacina n. 17. Salas num. 74.

Ad secundam concedo, si virtute privilegii cesset ius in re quæsitum privilegiato, non derogat secundo privilegio: sed quia sæpè ex privilegii concessione non acquiritur ius in re, quouque privilegio vis fuerit; ideo potest Princeps pro aliqua illius parte minuire causa rationabili interueniente.

Ad tertiam ex cap. ex parte, dico primum rescriptum non fuisse generale, sed speciale quoad effectum: verificatur enim, & complebitur primo Archidiaconatum vacante & consequenter secundum rescriptum non poterat aduersus illud præuolare, ut rectè dixit glossa, & notius in cap. 1. de rescriptis, & tradit Basil. num. 23. ubi aduertit si secundum rescriptum non concurreret cum primo, eo quod Archidiaconatus primo vacans, non fuit Archidiaconatus auunculi, sed alius, quem occupauit primo privilegiatus, non potest secundo privilegiatus visui rescripti obtinere Archidiaconatum auunculi, non quia opponatur priori rescripto, sed quia itrogaretur præiudicium Ecclesie, grauando illam duobus mandatis de providendo, quod non est præsumendum de Pontifice nisi clarè constet vel colligi potest ex d. c. ex parte. vers. quoniam igitur ibi nullatenus scripsimus & ex cap. literis de rescriptis, in 6.

Ad tertiam ex cap. ex tua respondeo utrumque rescriptum esse generale & circa diuersa: nam primum rescriptum fuit concessum Episcopo Ebotacensi, ut filiis presbyterorum bonæ vitæ, posset præbendas parentum conferre: secundum rescriptum fuit obtentum, ut hi filij priuarentur præbendis obtentis: quod rescriptum si intelligatur de illis, qui præbendas habuerunt ex dispensatione, nullum est; quia tacita est veritas: si autem intelligatur de illis, qui sine dispensatione Episcopi præbendas obtinerent, tunc validum est, neque contrarium priori.

16 De tertio modo derogationis per sententiam privilegio contrariam defendunt plures reuocati privilegium, si lata sit ab eo qui privilegium reuocare potest. sic Azor lib. 5. cap. 22. quest. 9. Salas disp. 20. sect. 14. n. 71. fine. & sect. 15. nu. 78. Bonacina disp. 1. quest. punct. 8. §. 3. num. 18. Mouentur quia sententia æquipatur iuri, & legi, sed lege, & iure contrariò reuocatur privilegium. Ergo & sententia. Deinde in cap. suborta, de sententia. & re iudic. ad finem, dicitur: Si Innocentii privilegium fuit Alexander in iudicio representatum, & ipse iulii sceleratiam aduersus illud, intelligitur reprobasse vel ut alii legunt, intelligitur reuocasse. Nam ut glossa ibi dicit, instrumentum reprobatum censetur, eo ipso quod cum iudicis ostenditur, contrarium iudicat, & alios casus allegat ibi glossa verbo reprobasse. Aduertunt tamen Salas, Bonacina, Azor supra, sententiam debere esse iustam, & latam ab eo, qui privilegium reuocare potest, aliàs non esset reuocatio. Secundo cum cogitatione privilegii.

Pro resolutione supponendum est aliud esse reuocare privilegium, & aliud aliud reprobare, Reuocare privilegium est aufere privilegium, quod verum est, & validum: ac reprobare est excludere privilegium tanquam nullum, vel quia subreptitium, vel quia abolum vel ob alium defectum. His positis.

17 Dicendum existimo per sententiam tunc reuocari privilegium quando privilegiatus in penam delicti commissi privilegio priuatur: at tunc illa non est tacita reuocatio, sed expressa, & de hoc modo reuocationis nullus dubitat; debet tamen fieri vel à concedente privilegium vel ab alio ex eius licentia: quia alias inferior non potest privilegiis à superioris concessis subditos priuare. At per sententiam contrariam privilegio, quæ scilicet reus condemnatur non obstante privilegio nullo.

nullo modo privilegium revocari potest, sed solum poterit reprobari, quia vel sententia est iusta, vel iniusta, si iniusta sit non habet effectum, neque ex illa privilegium derogatur, vt non habet effectum, neque ex illa privilegium derogatur, vt non habet effectum, neque ex illa privilegium derogatur, vt non habet effectum...

§. V.

Quae publicatio revocationis necessaria sit, vt privilegium revocatum censeatur.

- 1. Si lege lata est revocandum, debet publicari ex publicatione qua lex.
2. Si privatim revocatur privilegium, non habet effectum, quousque privilegium immoretur.
3. Qui cessant hanc revocationem quocumque modo cognitam privilegio sufficere.
4. Probabilis est debere fieri per nuntium, vel epistolam, & rescriptum ad id specialiter destinatum.

Præmittendum est revocationem aliam esse ab homine, aliam à lege.

Si lege lata privilegium revocetur, necessaria est illa publicatio, quam ad legis constitutionem diximus requiri, quia non potest talis lex vim habere revocandi, quousque in suo esse sit constituta: non autem est constituta, quousque publicetur. Ergo adde in hac revocatione separari non posse vim obligandi à vi revocandi, cum ab eodem fundamento, scilicet à lege, uterque effectus nascatur. At quia diversimodè de lege civili, & canonica loquimur, iuxta eam diversitatem de revocatione per legem civilem aut canonicam dicendum est. Diximus namque legem civilem, si pro diversis provinciis feratur ab his qui imperatoris, legibus reguntur, in qualibet provincia esse publicandam, & in ea non habere effectum, nisi post duos menses à die promulgationis: si autem feratur pro vna provincia, in ea solum publicandam esse, & in ea non habere effectum, nisi postquam cunctis revocatis sufficiens, vt in subditum notitiam debeat: legem autem canonicam diximus sufficere Romæ esse publicatam, vt omnes obliget, postquam ad illorum notitiam degenit, aut eum modo deuenire possit, & non antea. Idem ergo dicendum est de lege hac revocatoria, quia vera est lex, & habet effectum obligandi, & sæpe irritandi actus contra illam factos: quæ omnia ex postulant, vt ferentur in illa conditione necessitate ad legem sic docent, relato Felino, Panormitano, & aliis Salas disp. 17. de legibus sect. 17. n. 80 & 82. Suar. lib. 8. c. 40. §. 1. & seqq. Bonac. disp. 1. q. 3. punct. 8. §. 3. n. 10. Non desunt tamen qui dicant requiri publicationem legis revocantis privilegium in qualibet diocesi, sic docent Soto 1. de iustit. q. 1. n. 4. Medina 1. 2. q. 90. a. 4. p. 1. §. conclus. Etiam. Sà verò gratia n. 17. in vtraque edit. At ceti è sine fundamento, cum videamus revocari sæpe privilegia ob legem Romæ publicatam.

Verum si privilegium privatim revocetur, quod fieri potest vel mandato concedentis, vel alio privilegio, affirmandum est non habere effectum revocationem, quousque privilegio innotescat: sic ex communi sententia docet Syl. verb. gratia, n. 4. & verb. indulgentia, n. 17. Corduba in qq. lib. 4. q. 36. concl. 3. Sotus 1. de iustit. q. 1. n. 4. Medina 1. 2. q. 90. a. 4. p. 1. §. conclus. Azor lib. 1. c. 12. q. 7. Bonac. n. 10. Salas n. 82. Suar. n. 6. & de pœni. disp. vol. 1. c. 2. Bahlius lib. 8. c. 9. n. 14. Ratio est quia ad rectam republicæ & Ecclesiæ gubernationem pertinet, vt velie Principis privilegiorum suis privi legibus vti quousque agnoscant esse revocata aliis velle prius actus invalidos fieri, quod non est credendum de Christiano Principe.

Addat verò aliqui hanc revocationem non esse necessariam fieri per nuntium, vel per epistolam ad hoc missam ab ipso revocante, sed quocumque modo etia reddatur privilegiorum de sui privilegii revocatione, privilegium est revocatum, sic docet Suar. lib. 8. c. 40. n. 7. Bonac. disp. 1. q. 3. punct. 8. §. 3. n. 10. Sine ratio esse potest, quia ex natura rei hic modus noti-

tis per nuntium, vel epistolam ad revocationem non est necessarius, vt de constat: iure autem positivo nullibi invenitur præscriptus. Ergo sine fundamento expostulatur. Et confirmo. Revocatio privilegii solum ex voluntate concedentis pendet, non ex voluntate privilegiarii, siquidem privilegio reuocante fieri potest. Ergo si illius notitia in privilegiario requiritur, & ob suave regimen Ecclesiæ, quod certe saluatur, ex quocumque capite notitia habetur. Neque obstat ad concessionem privilegii requiri intimationem illius per rescriptum, vel nuntium ad id destinatum: vt inde discimus etiam in revocatione necessarium esse, quia privilegii concessio non habet effectum absque acceptatione privilegiarii, ac proinde debet concedens manifestare suam voluntatem, & concessionem privilegiario, vt ipse acceptet: non autem potest dici manifestare suam voluntatem, si nomine ipsius non fit. Ergo Adde. Concedentis, & acceptantis voluntates debent aliquo modo vni, ad cuius vniõnem hæc intimatio videtur ex natura rei expostulata: at quia revocatio non pendet ex acceptatione privilegiarii, sed illo iniuro fieri potest, efficitur non videri necessariam illam intimationem.

Verum etsi hoc sit satis probabile. At credo probabilius esse revocationem fieri debere per rescriptum, epistolam, vel nuntium ad id destinatum: sic docet expresse ari. lib. 8. cap. 19. n. 14. Sà verò gratia n. 17. in vtraque editione: & meo iudicio tenentur docere omnes illi, qui dicunt revocationem iurisdictionis ordinariæ, vel delegatæ debere fieri per nuntium, ad id destinatum, neque sufficere notitiam revocationis aliunde habitam, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez lib. 3. de matr. disp. 30. n. 12. & disp. 36. n. 9. quia hæc iurisdictio, est quoddam privilegium, & quidquid de illa dicitur, de privilegio dici potest. Ratio autem est, quia revocans privilegium sine per legem, sine priuatum, tenetur revocato intimare revocationem, ne amplius privilegio utatur, aliàs imprudenter operaretur. Ergo quousque ipse intimet, non censetur velle revocare. Adde revocationem privilegii, sicut & legis debet revocari publicari. Ergo publicatio, quæ à revocante non procedit, non est publicatio authentica, ac proinde non firmat revocationem, sicut diximus de publicatione legis non facta à legislatore. Quæ circa huiusmodi publicatio, & intimatio non propter acceptationem ipsius privilegiarii, sed propter naturam ipsius revocationis necessaria est. Et per hæc sit satis fundamentum contrario.



DISPUTATIO V.

De cessatione legis, eiusque interpretatione.

VELICITER obligatio legis cessare potest, vel in totum, vel in parte. In totum cessat, quando cessat lex, eo quod cessat omnino causa, ob quam fuit concessa, vel ex eo quod abrogata sit. In parte cessat lex, quando aliquo casu specialiter, vel pro aliquo tempore eius obligatio cessat; & hoc contingere potest dupliciter. Primo eo quod adueniat tales circumstantiæ, quibus adsunt his prudenter iudicatur legislatorum, vel noluisse, vel non potuisse sua lege ibi obligare: & hæc non est propria cessatio, quia nunquam ad illum casum lex extensa fuit. Secundo contingit, quando lex casum comprehendit, & legislator sua voluntate ab illius obligatione subditos eximit. Quapropter cessare potest adæquate lex. Primo ex cessatione causæ finalis illius, Secundo abrogatione. Tertio cessare ex parte potest interpretatione. Quarto dispensatione. De prioribus dicendum est in præsentis dispensatione, & in sequenti agemus de cessatione per dispensationem.

PUNCTVM I.

De cessatione legis ex cessatione causæ finalis illius

- 1. Distinguitur duplex finis, alius extrinsecus, alius intrinsecus.
2. Quando censetur præceptum ex fine extrinseco desumi.
3. Lex lata ob duplicem finem intrinsecum & extrinsecum, intrinsecus spectandus est.
4. Cessante tota causa finali, ob quam res præcipitur, cessat lex.
5. Probatur obiectio, & sic satis.
6. Limitat Soto, vt procedat postea declaratione Principis, vel consuetudine. Sed non admittitur limitatio.
7. Si cessat adæquatus finis pro determinato tempore, vel in parte legis, pro illo tempore, & illa parte cessat lex, seu suspenditur.

R 3 4

Ord. de Castro Sum. Mor. Pars I.

DE CASTRO SUMMORUM